modò brachia continua laborum agitatione debilitan-
tur, pedes currendo enervantur, omnesque spiritus assidua
prosternuntur agitatione. Quapropter, ut modo dixi,
si ab hac vicissitudine, viriumque corporearum adiumento
destitueremur, plane etiam ab ipsis destituendi essemus
naturæ viribus. Non ita corpori cibus, nec ita mem-
bris vestimenta, nec ita naturæ respiratio expedit
quam somni necessitatem corpori, membris, naturæque
expedire cernimus, et experimur. Membra enim
diuturnis, gravissimisque defatigata laborum ponderibus
restaurat, animos ac spiritus assidua, continuaque studi-
orum, curarum, cogitationumque exercitatione exhaustos
atque defessos novis viribus recreat, torpentia, atque
trementia frigoris asperitate corpora confovet, las-
satos aestivi caloris vehementia erigit artus, atque
confirmat, sanitatem qua mortalibus nihil gratius
conservat, et auget, cibos, queis hominibus nihil ma-
gis necessarium optime placidissimeque digerit, peco-
ribus quoque, quibus nihil utilius pinguedinem tri-
buit, magisque animalia nutriuntur, et augmentantur